Nr. 141)

, Ill. Oldenzio Bortio. Clendo. Pax Christj. Hildesheim.

Superiobus suis litteris noster Mylig tuam eruditionem frater dilecte et benignitatem mirifice mihi prædicauit. Quod etsi non fecit apud prorsus ignorantem (priùs enim Oliuerium noram) tamen ita fecit adtemperate ut nihil supra. Erat nimirum hic mihi discipulg Henricg Landwer iam maturg grauioribg studijs, adolescens tam ingenio bono, quam nauiter a me excultg, cui isthuc misso vehementer cupiebam parare aliquem benignum fautorē mea sedula cōmendatione. Quum autem tuj familiaris Jacobj Mylij epistolam, nunc habeam tuæ erga studiosos juuenes beneuolentiæ velut obsidem, multo mihi pronior facta est et certior ratio cōmendādj. Præsertim quum ipse adolescens in fortuna tenuiore sic instructg sit alijs dotibg, ut ultro alliciat humanissimum quemgz ad opitulandum. Hæc nisi ita essent, in tam aspera difficultate omnium rerum nunquam ausim vos onerare aut cuiquam molestus esse. Nam quod D. Monhemius piæ memoriæ suos pauperculos numerose solet isthuc extrudere id ille faciebat magni cuiusdam Patronj nempe D. Oleuianj necessitudine fretus, quod nobis angustioris animj non est imitandum. Cum istum ipsum non alia conditione mittimus: quam ut à vobis adiutus in aliqua honesta familia (quod sine magno studiorum dispendio fiat) tantisper liberalj ministerio victum promereat, donec spectata eius fide, & pietate, vos ipsi dignum censeatis, cuj ἐκ τοῦ κοινοῦ σίτου præbeatur. Quoniam autem eiusmodj Scholasticorum magna solet in Academijs esse copia: quij his titulis commendantur si id ipsum quod petimus parum succedat, tamen me auctore inspiciet Henricus hanc Academiam, cognoscet quid agant Theodorg, Alexander, Egbertus, Kenckelius, accepisq; isthinc litteris Duisburgum ad me reuertetur, ut aliā quærem (quod dici solet) excutiamg. Sin eueniat quod magnopere expeto, ut isthic inter bonos tolerabilj sorte commorari possit. Ego magno beneficio vobis obstringar & ipse Landwerus (nisi fallor iudicando) non tam onerj vobis erit quam ornamento. Res hic nostræ sunt flebiles, & afflictæ. Dissipauit pestis Scholam et meam familiam. Tum autem Ecclesiæ facies est tristissima. Irrepserunt scilicet in arcem ministerij Flacciane factionis vulpeculæ, quarum & fraudes occultæ & conspirationes manifestariæ omnē illam magnifice ædificatam instaurationem demoliuntur. Ac nescio quo pacto dum ad temporis opportunitatem docendj agendigi ratio accōmodatur, amissa est è manibg occasio veritatis asserendæ. Sed nolo ingredj irritas & intempestiuas querimonias. Ἐπιδάν γὰρ ἡ θάλαττα ὑπερχύσῃ μάταιος ἡ εὐνοῦχος ut est apud Græcum oratorem. Nempe post tristia funera serum est auxilium, & ratibg plorare pericula mersis. Potens est Dominus nos in integrum restituere, sed ut velit, metuo. Solet enim ingratam simulationem auersarj et supinæ socordiæ iratis infestusq; esse. Vale vir humanissime & cogita te si huic adolescentj beneficeris additurum mihi animum in posterum (si Deus vitam seruabit) ut maiore fiducia utar & fruar tua beneficentia & benignitate. Sexto Idus Augustj. 1. 5. 6. 6. Amicg & patriota.

[=Mscr. a. 12: Nr. 78]

Hic desideratur Epistola quam scripsit Duisburgi apud Sororem quam pestis grassabatur Bremæ. eius post sex folia reperitur, quæ illius prima est ad Dort. Vitrum.

Johannes Molang.